

Skerlecz de Lomnicza, Tabulae Judiciariae Assessoris, humillime exhiberi, et repraesentari fecerunt.

Quibus Postulorum Punctis omni cum Exactitudine expensis et discussis, eorum intuitu Clementer resolvimus, ac respective eatenus necessaria sua Via disponi jam fecimus. Et quidem in Ordine

Ad Punctum 1^{mum} de Ordinationibus intuitu Confiniorum Banalium ad Comitum antelatorum Regnorum nostrorum Banum praeter ordinarium Canalem, Cancellariam videlicet Nostram Regiam Hungarico-Aulicam factis: Ut quemadmodum parte ex una praefatus Comes Banus, qua Supremus Regni Capitaneus, adeoque ex hinc consecuto Militari Charactere, ac exinde enatae erga Consilium Nostrum Aulae Bellicum Dependendiae, a nunc fato Nostro Aulae Bellico Consilio Decreta sua & Instructionem obtinet, ac in consequenti etiam ab Eodem respectu Confiniorum Banalium, sive Negotium ejusdem Confiniariae Militiae Exitum, sive aliud quid concernat, Ordines recipit; Ita etiam parte ex altera ipsae quoque Fidelitates Vestrae conformiter etiam ad benignum Diploma Iisdem extraditum (sic), de omnibus ijs, quae intuitu eorundem Confiniorum Banalium apud Comitum Banum praevia ratione disponentur, suo debito Canali adaequate edoceantur, quo taliter etiam unitis Consilij Altissimum Servitium Nostrum eo celerius et exactius promoveatur.

Ad 2^{dum}. Respectu ordinatae ex parte Commissarij Bellici totius Banalis Confinij novae Conscriptionis: Certum quidem est, quod Occasione institutae in Anno praeterito 1750, Banalis Confiniariae Militiae Regulationis et desuper elargiti benigni Diplomatis Commissariatus Bellicus eo minus Influxum aliquem ad substratum Negotium habere potuit, cum in Exordio statim hujus Regulationis ipsimet fideles horum Regnorum Status & Ordines Annuum fundum in 40 Millium florenis penes necessarios Terrarum fundos pro eadem confiniaria Militia destinaverint, atque adeo eorum memoratae Militiae Banali Regni Confiniariae nihil ex parte aerarij Nostri Caesareo Regij obveniret; Ubi autem successu Temporis Necessitas ipsa postulasset, ut praedicta Banalis Confiniaria Militia ad aequalitatem respective cum reliquis Confinijs ponatur, Nos ex peculiari Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia finem in praevium Annuum Adjutorium in 83 Millium florenis ex Fundo Militari benigne resolvimus & applacidavimus; hinc porro sponte profluit, quod idem Commissariatus Bellicus respectu cumprimis illius, quod ab aerario Nostro praemisso ex Capite dependitur, ac dein erogatur, uberiores Notitiam et capere et habere debeat. Quoniam vero Intentio neuliquam ea foret, ut praedictae Militiae Banalis Confiniariae Conscripctio, signanter quoad fundos & Tenuta illius effective suscipiatur, verum unice in eo Res tota posita habeatur, ut in Banali Confinio solummodo quoad ipsa Capita, Amictus item, et reliqua Eorum Requisite Revisio, seu Lustra cumprimis ratione Mundurae Conservationis & impensarum instituat, absque eo, quin ad Investigationem Fundorum ex parte Provinciali ad Confinium cessorum ex parte Commissariatus procedatur.

Atque hinc spectatis omnibus praemissis, vel maxime autem eo in condignam Reflexionem sumpto, quod Nos pro subsistentia antelatae Banalis Confiniariae Militiae ex peculiari Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia Annue 83 Millia flor. ab aerario Nostro dependenda benigne resolverimus, unde in Reg-